


V C  
3328










V c  
3328



GRATVLATIO

DE ILLVSTRIS-  
SIMI PRINCIPIS AC DOMI-  
NI, DOMINI CHRISTIANI DVCIS  
Saxoniae, Landgrauj Thuringiae, Marchionis  
Misniae, & Burgrauj Magdeburgensis, &c.  
nato nuper filio, DVCE IOHAN-  
NE GEORGIO &c.

Scripta à  
IOHANNE MAIORE D.



Cum Gratia & Priuilegio.

DRESDÆ.

Excudebat Mattheus Stæckel.

1585.











Pse suæ radios virtutis in inclyta sparfit  
Pectora, quæ regnis vult caput esse,

DEVS:

Vt sua vis præsens noscatur in agmine  
nostro:

Nam qui iustitiam seruat, imago  
DEI est.

Vnde nisi illustri quæremus ab ordine tegmen

Si vis, siue dolus nostraq̃, nosq̃ petit?

Cùmq̃ salutari sint salui in principe ciues:

Gloria pro nato principe danda DEO est:

Instar aui, & patris qui fas tegat, asserat artes,

Vnde capit formam fascq̃, piumq̃ suam.

Has quòd amet, signo est, quia dat tutoribus harum

Mascula coniugij pignora sæpè DEVS,

A virtute virinos dicimur; arte peritos,

Qui sunt virtutum fulcra, fouere virum est.

In natis resident mores, velut ora, parentum,

Virtutisq̃ puer signa virilis habet.

Vt sint præsidium vitæ & pietatis auitæ,

Extendit procerum germina celsa DEVS:

Tum quòd in his populus virtutum exempla recensens

Præclara exprimeret moribus ausa suis

NON dat spem generis quos spes nullo ordine carpit,

Et genus oblitum de pietate cadunt.

Hinc sub virtutis clypeo & pietatis agentes

Hac agimus grates pro bonitate DEO.

Namq̃ sui memor, atq̃ DEI domus inclyta laude

Nunc rerum dominos gignit in orbe DEOS.

A 2

Præ



Præbuit hæc CHRISTO sedes, & fouit honestas  
Subsidij artes, officiumq; fori.  
Et varia specie virtutum inclaruit orbi,  
Quas cellis animis inserit aura DEI.  
Vt Musæ & Charites vestigia libera ducant:  
Pax super his pennas explicat alma suas.  
Nec repetam in ferie tot nomina, resq; peractas,  
Pauca decet cunis verba, sed apta loqui.  
Non ego do fictam, nec veram detraho laudem:  
Sed sapiens breuiter dicere multa potest.  
Temporis accessu nomen tibi patris, auicq;  
Quantum ad virtutem sit satis, instar erit.  
Nam sol iustitiæ CHRISTVS sub pectore lucens  
Efficit ad motus æmula corda suos.  
Effigiemq; DEI per Verbum instaurat in ipsis,  
Iustitiam, & rectæ cognitionis opus.  
Gens antiqua Linum celebrauit, & Orphea doctum  
Res ad ciuilem qui retulere statum.  
Arte lyræ lapides Amphion mouit ad urbes,  
Nempè, dedit vitæ consona iura, vagæ.  
Hos quoq; res sacras ornantes, iuraq; dantes  
Æqua suis, omnis cætus in ore feret.  
Dat tales animos DEVS, ut res erigat ægras,  
Hos ego cùm laudo, laus ea tota DEI est.  
Et quia regna labant, pietasq; obitura videtur:  
Heroum interitum fulcit in orbe DEVS:  
Hisq; alia ex alijs generando pignora donat,  
Quotq; dat his natos, tot dat in orbe DEOS.

Ergo



**ER**go tuo exortu nouitas sese exerit anni:  
 Ver grauidum flore est, Saxona prole domus,  
 Pullus ut arboribus radice resultat ab ima:  
 Sic noua de Rutæ germine gemma micat.  
 Vere nouo æternus pater orbem, & cuncta creauit,  
 Vere nouo patriæ iam creat ille patrem.  
**Mira** **DEI** est operum ratio, & facit optima semper:  
 Res pensat, si quod spes remoratur opus.  
 Vere nouo natus, Flatuq; renatus & unda  
 Conscia cum **CHRISTO** fœdera mentis habes.  
 Quòdq; fidem **CHRISTO** dederis ante omnia soli:  
 Sis memor, & fidei sensa probata tegas.  
**Diligite** ò proceres pacem, verumq; volentes,  
 Pax ea quæ vero est iuncta, perennis erit.  
**Nomen** aui gestas materni **IANE GEORGI**:  
 Tu refer hunc animo, corpore, laude, fide.  
**Vt** quoties pater, aut mater te suscipit ulnis,  
 Dicant, hic uno reddit in ore duos.  
**Te** pia flamma mouens, cognati sanguinis index,  
 Nunc matri coget, nunc dare labra patri.  
**Hæc** balba ora docet risu affirmare parentem,  
 Et notum, ex nulla voce quòd hausit, habet.  
**Regnet** auus, regnet pater, atq; examina prolis.  
 In longos videat Cygnus uterq; dies.  
**Qui** petit hoc, commune bonum petit: inclyta virtus  
 Non sibi, sed patriæ nata iuuare bonum est.  
**Debitus** hic amor est ut vitam, remq; tegentes  
 Afficiat studijs, & prece quisq; sua.



Iustitia & bonitas sunt ad cunabula præstò,  
Et soror his pietas iuncta duabus adest.  
Qui modò gaudebat pater una ex prole vocari,  
Nunc gemino dici gaudet ab ore pater.  
Et poteras dubitare tuæ de semine gentis?  
Fine aliquo claudi gratia diua nequit.  
Nec tibi, clare puer, nunc vitæ ediffero leges:  
Vis decus: aut mores? hoc patris, illud aui est.  
Ne quære ex alijs, si præstò est illa facultas  
Ad laudem poterit quæ satis esse tuam.  
**AVGVSTVM** melius nil quàm natura, Deusq;  
Finxerit: hæc sua sunt: cætera Parca dabit.  
Si proceres pro re benè gesta in Marte triumphant,  
Qui sua ab alterius commoda clade petunt,  
Quid facies, patriæ iam nato ad commoda Nato?  
Alterius damno est, quando triumphus erit.  
Auctus ouas partu, quo nulli iniuria facta est,  
Parta salus multis, auctaq; regna DEI.  
Non hæc in patriæ cohibent se gaudia tractu:  
Trans mare, & ad Cimbros permeat ista salus.  
Ecce meæ applausus dant cunis carmine Musæ,  
Quas nisi seruetis, carmina nulla sonent.  
Sed quia virtutem colitis: seruabitis illas,  
Virtutis testes quas dedit esse Deus.  
Terra tuis cunis iam fundit Dædala flores,  
Quos inter seruat Ruta perenne decus.  
Cresce, sed in patris bonitatem, ac nomen auorum  
(Quod benè DI vertant omen,) iture puer.

In



In te gentis honos antiquæ fulgeat : ex te  
 Laus eat : & pro te stet pia cura DEI.  
 Et factis implere , tuo quæ nomine feci  
 Vola , stude : ut possis , ad studia adde preces,  
 Desino , nam nescit mea Musa æquare canendo  
 Quos æquat terris gloria , fama polo.

FINIS.



17c





Handwritten blue ink scribble, possibly initials or a mark.

Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, appearing as ghostly Latin or Greek characters.

FINIS

Handwritten blue ink scribble at the bottom of the page.





**ULB Halle**  
004 977 211


3












fi. 30, 1.

Vc  
3328



GRATVLATIO

DE ILLVSTRIS-  
SIMI PRINCIPIS AC DOMI-  
NI, DOMINI CHRISTIANI DVCIS  
Saxonia, Landgrauj Thuringia, Marchionis  
Misnia, & Burgrauj Magdeburgensis, &c.  
nato nuper filio, DVCE IOHAN-  
NE GEORGIO &c.

Scripta à  
IOHANNE MAIORE D.



Cum Gratia & Priuilegio.

DRESDÆ.

Excudebat Mattheus Stæckel.

1585.

